


Werneke,
De strabum tisca
varorum agor'ultra
et moracula





D E

ARABUM HISPANICORUM
AGRICULTURA ET MERCATURA

QUALES FUERINT

OMEIADIS IN HISPANIA REGNANTIBUS.

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

I N

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

U T

SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. MENSIS MARTII A. MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

BERNARDUS WERNEKE,
MONASTERIENSIS GUESTPHALUS.



MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLX.

Tabula rerum.

	Pag.
CAPUT I. De Hispaniae situ natura et fatis	1
„ II. De florente Hispaniae Arabicæ conditione.	5
„ III. De agricultura	11
„ IV. De Arabum industria in artibus colendis, deque metallis et fabricis	20
„ V. De mercatura	24
„ VI. De Hispaniae urbibus mercatoriis	45



C A P U T I.

De Hispaniae situ, natura et fatis.

Hispania maxima est pæninsularum, in quas Europa meridionalis dividitur et quæ deinceps, tamquam sese excipientes, sedes potentissimorum populorum atque nutrices artium litterarumque fuerunt. Græcia prima ad elegantiorem ingeniorum cultum pervenit principatumque quum ingenii, tum armorum in multas terras finitimas promovit diuque obtinuit. Quum vero Græcia fortunæ succubuisse, Roma Italiaque eius partes suscepit et non solum imperii fines, sed cultum etiam humanum civilemque in eas quoque propagavit regiones, in quas Græci nondum pervenerant. Romam, temporis quodam spatio intericto, Hispania secuta est et artes liberales ex tota fere Europa tum repulsas egregie coluit. Tamen harum terrarum ratio ac fortuna quodam modo diversa est. Græciam enim et Italiam populi indigenæ habitabant, qui ex patriis sedibus dominationem et cultum suum protulerunt; sed dum Græci imprimis in ingenia hominum dominantur, Romani præcipue id spectabant, ut quam plurimas terras sibi subiicerent stipendiariasque facerent. Arabes vero ipsi ex alieno genere orti Hispaniam vi et armis ceperant et frustra ex novis suis sedibus altius in

Europam penetrare conati sunt; validissimi enim eorum impetus ab iisdem populis Germanis repulsi sunt, qui Romanorum imperium everterant. In Asia quidem et Africa novam ingenii facem accenderant; longe lateque Mohammedis doctrinam et, quum incredibili quadam celeritate ad humanitatem informati essent, eruditionem Arabicam disseminaverant. Hispania vero, terminus finisque armorum Arabicorum, unica Europæ regio erat, cuius diuturnam obtinebant ditionem ac regnum, quam ob causam tanti momenti, quanti Græcia et Italia esse non poterat. Attamen permulta testantur exempla, Arabes magnam atque utilem vim in conformandam excollendamque Europam exercuisse, quam multo maiorem et efficaciorem futuram fuisse facile arbitrabimur, nisi doctrina Christiana Europæos animo inimicissimo contra Muhammedanos Arabes imbuisset. Omnino duæ novæ validæque illis temporibus sibi oppositæ erant res, Christiana Germanica et Muhammedana Arabica. Utraque gens orbem terrarum sibi subiicere eiusque formam immutare et constituere studebat; Germani Occidentem, Arabes Orientem inundaverunt; Hispania vero campus erat, in quo arma manusque conserebant; et diu varia fortuna certabant, donec post multa tandem secula Europæi alienigenas repulerunt.

Quamquam igitur tertia hæc pæninsula tanti momenti ad conformandos Europæorum animos, quanti Græcia et Italia, non erat, tamen a natura huic terræ pulcherrimæ eadem partes, quas illæ suscepérunt, impositæ fuisse videntur. Omnibus enim opportunitatibus, quibus illæ fruuntur, quam maxime instructa est. Namque in extrema Europæ parte sita facilissimum ad omnes Africæ, Europæ et nonnullas Asiæ regiones habet aditum; ipsas ad eas orbis nostri partes adeundas, quas recentiores demum nautæ invenerunt, aptissima est eosque viros ex

portibus suis emisit, qui primi in Americam et itinere maritimo in Indiam orientalem pervenerunt. Tuti et tranquilli portus omnes oras circumdant; quinque flumina permagna, innumera minora terram irrigant, in quorum complura ipsæ naves maritimæ ascendunt. Bætis, qui provinciam amœnissimam et ditissimam (Bæticam sive Andalusiam) perfluit, a plurimis navibus visitur; fluxu secundo maiores usque Hispalim ascendunt, minores Cordubam. Anas, Tagus et Durius, maxima flumina, Oceano miscentur Atlantico, eamque ob causam accessui maris sunt exposita; itaque propter aquæ altitudinem naves mercatoriæ penitus in terram procedunt urbesque adiacentes adeunt. Minores quoque amnes, Minius, Munda et Urius navigationis sunt patientes. In mare medium Iberus et Suero (ut ceteros omittam) sese præcipitant, qui, quamquam propter rupium impedimenta nautæ rarius eos accedunt, tamen navibus non carent. Multi montes terram implent; silvæ eximiæ et pascua læta eos tegunt et felices metallorum divitiæ in eorum venis delitescunt. Coelum serenum et calor temperatus ex solo feraci omnia elicit frugum genera, adeo ut terra non tantum incolis ipsis, sed regionibus finitimiis etiam cunctarum rerum abundantiam suppeditet. Natura cœli excellens sanitatem hominibus reddit præcipuum.

Tanta terræ bona iam a primis temporibus alios populos in eam allexerunt. Iberos enim indigenas iam ante hominum memoriam Celtæ ex Gallia oriundi sunt aggressi magnamque pæninsulæ partem occupaverunt; sed utraque gens e barbaria non evasit. Tum Phœnices audaces, navibus suis totum mare medium pervagantes, gazas terræ incolis ipsis ignotas vel ab iis contemtas repererunt et maximis illis commodis adducti copiosam instituerunt mercaturam, ad quam promovendam complures colonias deduxerunt, Menobiam, Malacam, Abde-

ram, Carteiam, Gades præclarumque Tartessum. Græci quoque ibi nonnullas colonias collocaverunt, ut Saguntum, Tarraconem, Rhodam et Emporias. Sed et Phœnices et Græci in oris tantum concenterunt, neque in interiore terram, quippe qui eam subiicere non studebant, processerunt. Carthaginenses vero Siciliam Sardiniamque insulas amissas aliis occupatis provinciis compensaturi totam terram in ditionem suam redigere conatus sunt; sed quum ad finem propositum fere pervenissent, Romani victores e provincia eos recedere coegerunt. Romani autem post diurna demum et crudelia bella Hispaniam totam in ditionem acceperunt; pacata vero provincia, per quingentos annos usi sunt placidissima pace, ita ut omnes Hispani Romanos mores induerent. Ab externis enim armis otium perpetuum fuit, donec populi Germanici ex sedibus antiquis prorumpentes, saltu Pyrenæo superato, pæninsulam occupaverunt. Vandalos et Suevos Goths sunt secuti, quorum regnum multisdemum et diutinis bellis constitutum uno fere proelio Arabes deleverunt. Hi vero florentissimum condiderunt regnum, cuius agriculturam et mercaturam hoc libello adumbrare in animo est.

Arabum gens antiquissima nec libertatem suam unquam amiserat, neque alios populos usque ad illud tempus in suam redegerat ditionem. Repente autem e finibus suis proruentes magnam sibi terrarum partem subiecerunt earumque formam plane commutaverunt. Auctor vero tantarum rerum Mohammedes fuit, doctrinæ sacræ ad Arabum mores et ingenia aptissimæ conditor, qui populum suum tanto huius doctrinæ propagandæ studio inflammavit, ut omnes terras finitimas torrentis instar inundaret. Quinquaginta annis post Mohammedis mortem Arabes omnes terras ab Indo usque ad mare Atlanticum, a Caucaso et Ponto Euxino usque

ad mare Indicum et Aethiopiam sitas in suam ditionem redegerunt. Tot ac tantæ terræ initio uni imperatori, cui Califæ nomen erat, obtemperabant; sed hoc imperium, quo nec maius nec florentius ullum post hominum memoriam fuit, brevi eadem celeritate, qua erat conditum, corruit, et ex eius ruinis multa opulenta nobiliaque orta sunt regna, quorum splendidissima et memoratu dignissima ostendit Hispania.

CAPUT II.

De florente Hispaniæ Arabicæ conditione.

Hispania, inter illas provincias, quæ a Califis defecerunt et a propriis regibus administratæ sunt, primum locum obtinet. Namque iam medio seculo octavo suos reges habere cœpit et sub eorum ditione longinqua tantum opulentiae et artium splendorem assecuta est, ut omnes Asiæ et Africæ terras, quæ ad libertatem pervernunt, et diuturnitate et claritate superaverit. Anno DCCX, Taricus, Musæ legatus, primus in Hispaniam traxit et postquam Rodericum, ultimum Gothorum regem, summo prœlio ad Astam regiam devicit, eam uno anno, opitulante Musa, qui eum secutus est cum altero exercitu, in Arabum ditionem redegit. Initio præsides, inter quos multi viri egregia virtute prædicti inveniuntur, eam administrabant; sed intestinæ sediciones, crebrae magistratum vicissitudines et irritæ expeditiones in Galliam susceptæ impedimento erant, quominus terra vires diu amissas reciperet. Medio vero seculo octavo Abderrhamanus, e genere Omeiadarum ortus, qui solus communem familiæ suæ internacionem effugerat, in Hispaniam pervenit et adiuvantibus domus suæ sectatoribus brevi tota fere terra potitus est. Inde ab eo tempore circiter

trecentos annos Hispania continuo reges Omeiadicos habuit, quorum opera ad summum felicitatis fastigium pervenit. Etenim nunquam excellentiores reges eam administrabant, neque gens ulla laboriosior et magis industria præclara terræ natura fructuosius utebatur, quam Arabes. Nam inter reges Christianos, qui post Mauros, quos vocant, expulsos, in Hispania dominabantur, pauci præclaræ ingenii indole excelluerunt; multos vero aut imbecillos vel depravatos, aut sana mente plane destitutos fuisse accepimus. Quod autem ad populum Hispanicum ipsum attinet, eum vana superbia et summa inertia laborare omnes consentiunt. Placet igitur, historiam Hispaniæ Omeiadis regnantibus paucissimis verbis enarrare statumque, qui fuerit ea ætate, celeriter perstringere.

Omeiadæ difficile regni initium habuerunt. Intestini enim tumultus opes debilitabant; imprimis Africanæ gentes, quibus adiuvantibus Arabes pæninsulam subegerant, sæpe gravissimas seditiones concitabant. Deinde Christiani, qui in montes Cantabriæ se receperant, durum atque ferox genus, initio ex occasione magis latrocinia, quam bella facientes, paullatim sese confirmabant et in dies maiores vires capiebant. Denique Francorum quoque reges, quorum regnum illo tempore validissimum erat, Arabes non solum e Gallia repulerunt, sed etiam brevi Pyrenæos montes transgressi Hispaniam ipsam adorti sunt. Califæ vero, qui principio terram rebellem recuperare moliebantur, modo aliis bellis occupati ab incepto destiterunt, quam ob rem maximo, quod videbatur, periculo Omeiadæ liberati sunt. Abderrhamanus, qui primus regiam dignitatem capessivit, vir magno ingenio et strenua fortitudine, ex omnibus bellis et seditionibus victor evasit: Almansoris Califæ exercitum fugavit, provinciam trans Iberum sitam, quam Carolus Magnus ceperat, a Francis recuperavit, rebelles præfectos

vicit; idem magnus in pace quoque fuit: terram debilitatam eximie sublevavit, urbes magnificis aedificiis, quorum maximum, Cordubæ templum, nunc quoque exstat omniumque admirationem excitat, ornavit. Heschamus I., qui eum secutus est et Hacemus I., huius successor, prosperre cum præfectis rebellibus confluxerunt; Francis vero, qui bellum redintegraverunt, contigit, ut Barcino-nem caperent atque contra Maurorum impetus defendarent. Hacemus etiam permagnam classem aedificavit, quo facilius Africanos repelleret; quæ classis exinde Christianis terris maxima damna prædationibus et incursionibus intulit; ipsam enim Romam piratæ Hispanici anno DCCCXLVI. infestarunt. Abderrhamanus II. pacis bellique artibus pariter deditus inter bella, quæ cum Francis et Hispanis Christianis gessit, Musarum non est oblitus; magnificentia aulæ regiæ, aedificiorum splendor et poëtarum litteratorumque, qui ea ætate florebant, opera eximie laudantur. Cum ipso Theophilo, Græcorum imperatore, amicitiam societatemque fecit, quum uterque impetus Abbassidarum timeret; tamen commune bellum, quod contra Califam moliebantur, non exarsit. Eum deinceps secuti sunt Mohammedes I. filius, Almon-dirus et Abdalla, nepotes eius, artium quidem liberalium studiosi, sed bello Christianis non pares; illo enim tempore Alfonsus III., qui Magni cognomen usurpavit, Asturiæ rex fortissimus saepe Arabum copias in fugam dedit finesque regni sui late propagavit. Abderrhamanus III. autem, qui eos excepit, incommoda accepta incredibili virtute atque fortuna reparavit; dignus sane est rex ille, in quem omnia laudum ornamenta conferantur: dubium enim non est, quin maximus fere, opulentissimus et splendidissimus medii, quod vocant, ævi fuerit imperator. Præclarus quidem bellis feliciter gestis, (totam Mauretaniam, ut plura omittam in fidem accepit) sed multo illu-

strior est summo totius regni, præsertim artium et litterarum fulgore, quo Hispania omnes pæne nostræ ætatis civitates, nedum mediæ, obscurat: totius enim Europæ terras incolarum frequentia, urbium magnitudine et pulchritudine, agrorum fertilitate, ædificiorum magnificentia, scholarum multitudine, poëtarum et virorum doctorum copia, denique summa omnium rerum abundantia et felicitate superavit. Mirum igitur non est, iam tum Abderrhamani gloriam adeo dilatatam fuisse, ut omnes fere reges legationes ad eum mitterent salutatum, quod quo rarius, eo illustrius fuit. Hacemus II. filius eius, dignus, qui talis viri successor esset et heres, etiam magis quam pater litterarum studiis deditus erat; præcipuam operam libris colligendis navavit, quorum tantam molem exaggravit, ut bibliotheca eius sexcenta millia librorum continuisse feratur. Poëtarum et artificum maximus numerus in aula regia versabatur; complures quoque Christiani principes in eius domo degebant. Mercatura autem et agricultura propter diuturnam pacem ita florebant, ut immensæ divitiæ in terram confluerent. Sed inde ab eo tempore regnum Arabicum paullatim ad ruinam vergere cœpit; namque Hacemo mortuo tempestates internæ increbrescebant, Christianorum vires usque adolescabant et reges Arabici (intra sexaginta annorum spatium decem Omeiadæ regium nomen obtinuerunt; quos tamen nominare operæ pretium non erit), hostibus parés non erant. Initio quidem Almansor, qui regis loco rem publicam gubernabat et summæ imperii præerat, non solum seditiones fortiter repressit, sed etiam hostium incursions profligavit regionesque diu amissas in ditionem suam redigit; attamen calamitatem irruentem tantum differre poterat, prohibere non poterat. Anno MXXXVIII ultimus Omeiadarum avitam regiam potestatem amisit, quo facto unum illud regnum in complures

civitates divisum est; itaque unaquæque fere urbs copiosior reges suos habebat, ut Hispalis, Granata, Valentia, Corduba, Malaca, Toletum, Cæsarea Augusta, Pax Augusta, aliæ. Hi reguli debiliores erant, quam ut validos Christianorum impetus ferre possent, præsertim quum multi equites ex ceteris Europæ terris ad debellandos Mohammedanos profecti Hispanorum opes augerent. Quamvis Mohammedani quoque nonnumquam vires suas reficerent et ex Africa excellentissimi duces cum feroce milite in Hispaniam traiicerent atque majorem principum concordiam revocarent; tamen magis magisque repulsi et reiecti sunt; singulis deinceps urbibus amissis anno MCCCCXCII tandem Granata, urbs copiosissima et florentissima, quam summa constantia defenderant, tamquam postremum Islami in Europa propugnaculum a Ferdinando, Castellanorum et Arragonensium rege capta est. Multi Mauri Abdallam, ultimum Granatæ regem, in Africam sunt secuti; alii in Hispania remanserunt, quorum tandem posteros post multas importunas iniurias illatas Philippus III. Hispaniæ rex, anno MDCIX cum maximo terræ ipsius incommodo in exsilium exegit.

Illa igitur sunt fata Arabum, qui Hispaniam incoluerunt. Vidimus eos in Hispaniam se effundere, totam turbulentu impetu expugnare regnumque illustre condere, certe florentissimum omnium, quæ ibi exstiterunt. Strenui duces terram defendunt, præstantes reges eam gubernant, qui lenitate et sapientia sua, licet pæne continua bella et seditiones iis adversentur, summum optimarum artium nitorem provocant. Postea quidem regnum in complures res publicas minores dilabitur; sed hæ quoque, imprimis Granata, gratissimam opulentiae et eruditionis imaginem nobis præbent. Aetas illa, qua Omeiadæ Hispaniam moderabantur, sine dubio omnium felicissima est. Multa illius ævi monumenta, quæ nec temporis

diuturnitate, neque insano Christianorum victorum furore interierunt, nobis nunc quoque perspicua splendoris Arabici proponunt testimonia; adeo æquales nostri, qui nostrorum regum moles splendidissimas viderunt, plus fere admirationis magnificis Arabicorum principum domiciliis, templis et hortulis tribuunt, ita ut incredibiles descriptiones scriptorum orientalium, quos plerumque nimis efferre omnia scimus, prope veras et rebus ipsis accommodatas putemus. Imprimis autem delectamur studio, quod et reges et ceteri Arabes artibus ingenuis navabant. Namque dum tota Europa alta caligine premitur, et vix singuli viri in artium studiis versantur, Arabes Hispanici omnium ordinum liberalibus doctrinis vacabant. Incredibilis fere est numerus poetarum, qui carminibus elegantissimis regum facinora aliasque res præclaras celebrabant; ipsæ sæpius feminæ magnam ingenii famam sunt assecutæ, quod eo est illustrius, quo deterior apud ceteros Muhamedanos mulierum conditio erat. Sed tota Arabum Hispanicorum vita tamquam liberaliore et gratiore ingenio est imbuta; namque vigor et alacritas Arabica coniuncta cum dignitate et gravitate Hispanica hanc præcipuam naturam moresque liberales Arabum procreasse videtur. Musicorum ars acceptissima erat, ut sæpe ex Asia ipsa præclari modulatores et cantores accirentur et frequentes in Hispania conderent scholas. Præstantiam artemque architectorum ea aedificia, quæ adhuc exstant, satis superque testantur. Philosophiæ studia summopere vigebant; omnium virorum, qui philosophiæ laudem medio ævo adepti sunt, facile primus est Averroes Hispanus, quem nominasse satis erit. Mathesim autem et physica diligentissime Arabes colebant; complures Europæi, qui eorum scholis interfuerunt, ægre rogum effugerunt, quum propter novas et inauditas artes, quas ab Arabibus docti erant, magi et incantatores haberent.

tur. Astronomi Arabici diligentibus observationibus et sagacitate ingenii gloriam permagnam assecuti sunt; tabulæ præclarissimæ, Alfonsinæ quas vocant, Arabes habent auctores. Multæ aliae doctrinæ, ut medicina, geographia, simili diligentia colebantur *).

Fundamentum autem tanti artium fulgoris summa Hispaniæ Arabicæ opulentia erat; quæ cum præcipue agricultura florenti et mercatura quæstuosa nitatur et ultraque res per se contemplatione dignissima esse videatur, operæ pretium me facturum esse putavi, si agriculturam et mercaturam, qualis illa ætate inter Arabes Hispanicos fuerit, paullo uberiori exposuerim. Spectabo autem in opusculo meo præcipue Omeiadarum tempora quoniam agricultura et mercatura tum maxime florebarūt.

His igitur rebus præmissis, quæ quamquam minus ad argumentum libelli pertinentes, tamen aliquid ei lucis afferre mihi visæ sunt, iam ad eum locum, quem uberiori tractare mihi proposui pervenio.

CAPUT III.

D e a g r i c u l t u r a .

Gothi quum Hispaniam sibi subiecissent, duos agrorum partes sibi vindicabant, tertiam incolis veteribus relinquebant; illi magis rei pecuariæ dediti fuisse videntur, hi agrorum cultui magis inserviebant. Initio Romani ius connubii non habebant; sed quum Gothi cum Romanis misceri coepi essent et agri inter liberos ita dividerentur, ut omnes partem æqualem acciperent, agricultura efflo-

*) Copiosissime his de rébus disputavit Murphy in libro: history of the Mahometan empire in Spain, quem vide.

resecbat. Multæ Gothorum leges ei eximie consulebant; sed quum ut hodie quoque permultæ pecudum græges terram pervagarentur iisque pasci omnibus agris liceret, agricolæ magna inde incommoda capiebant. Pomaria quoque non negligebantur; imprimis vites, oleæ aliaque arborum frugiferarum genera colebantur. Quibus rebus intelligitur, agriculturam Gothorum non iacuisse. Sed multo maior eius splendor Arabibus dominantibus erat. Arabia ipsa propter soli sterilitatem et aquæ penuriam exiguum agriculturam habet. Sed illi Arabes, qui e desertis suis in alienas regiones transierunt, admodum agrorum cultui inserviebant. Habitabant enim regiones fertilissimas, ut Mesopotamiam, Aegyptum, Libyam, Hispaniam, alias, quarum natura ipsa eorum amorem agriculturæ excitavit. Imprimis Arabes Hispanici ei se dicabant, et nescio an nullus populus unquam in agro colendo magis solum et cœlum, plantas et armenta respexerit, quam Arabes. Multa adhuc vestigia in Hispania meridionali inveniuntur, quæ testimonio sunt, eos summa cum solertia in agriculturam incubuisse. Quum diligentissime agros irrigandos curarent, multis in locis veteres fossæ et canales ab iis instituti reperiuntur, quibus adhuc rustici utuntur, nisi incuria vel tempore diurno interierunt; cuniculos per ipsos montes et aquæ ductus in valibus exstruxerunt, ut satis aquæ in agros deducerent. Multæ eorum ruinæ nunc exstant, ut apud urbes Moncadam, Carmonam, Orxivam *). Permagnos quoque lacus vallibus aggere clausis exstruxerunt, ut aquæ ad tempus liberari vel segregari possent; sic nimiæ penuriæ vel copiæ aquarum æque consulebant. Instrumentum quoddam,

*) cf. Jacob: travels in the South of Spain, passim; Murphy: history etc. p. 264.

cui «marhifal» nomen erat, excogitaverunt, quo accuratius agri exæquarentur. Soli naturam diligenter percontabantur; suas quæque regio plantas habebat et colebat, quarum natura iis aptissima erat: ad Valentiam plurima palmeta et agri oryza consiti erant; iuxta maris littora et in humidis regionibus saccharum et mori (ad alendos bombyces) colebantur; Andalusia plurimis olive-tis et facetus abundabat et ora maritima meridionalis malis Medicis et vitibus præstantissimis gaudebat. Mirandum igitur non est, non modo rusticos lucrandi causa agrorum cultui insudasse, sed etiam nobilissimum quemque in pace agricolam egisse, et propria manu aratum versavisse. Adeo reges, ut Hacemus II. ruri opus fecerunt. De illo bene Condeius *): «rex ille inquit præstantissimus pila et gladios in aratra et sarcula commutavit et bellicosos tumultuososque Saracenos reddidit placidos pastores et agricultos.» Ut apud Romanos, ita apud Arabes nihil agricultura melius, nihil libero homine dignius habebatur. Itaque complures scriptores excellētissimi etiam agricultorū operibus studuerunt eximiisque libris hanc materiam tractaverunt; quorum auctorum nemo maiorem adeptus est laudem, quam Abu Zacharia Jahia. Qui quum multorum scriptorum libros de agricultura diligenter manu versavisset propriisque studiis et observationibus scientiam suam auxisset, ipse librum de agricultura summa laude dignum edidit **). Præcipuos rerum rusticarum auctores Chaldæos, Græcos, Africanos (e quibus ut rem cognitu dignam duos Carthaginenses

*) Geschichte der maurischen Herrsch. in Span. I. p. 484. v. Don Jose Antonio Conde, übers. v. Rutschmann.

**) Exstat versio Hispanica: Libro de agricultura. Su autor el Doctor excellente Abu Zacaria Jahia, Savillano, traducido por D. I. Banquieri. Matriti 1802.

nomino, Magonem et Hannonem) Latinos et Arabo-Hispanicos testes adhibet. Casirius*) copiosum capitum huius libri indicem affert, in quo multa memorabilia nobis occurunt. «Plane liquet — sic Casirius p. 338. — quantum in Hispania olim floruerit rei rusticæ studium: quæ frugum pomorumque copia, quot arbores, quot plantæ exstiterint. Arabes enim et Africani præcipuis regionum suarum plantis in Hispaniam suo iam imperio adiunctam invectis singularem curam adhibuere: quas una cum ipsis solum mutasse perdolemus.» Qua in re omittere non possum, quin arborum et fructuum indicem, quem Casirius ex Abu Zachariæ libro in medium profert, lectoribus proponam, quo clarius summa Arabum diligentia in operibus rusticis elucescat. Nomina igitur plantarum, quæ laudantur vel uberior tractantur, hæc sunt: olea silvestris, laurus, siliqua, myrtus, arbutus, castanea, quercus, pirus, zizyphus, lotus, pistacia, cerasus, mespilus, lycium, malum Punicum, amygdala, pinus, cypressus, morus Arabica, nux, ficus, rosa, jesimum, malum aurantium, malum citreum, pepomelones, malum Medicum, bastanium, sorbus, aspalathus, malum Cydonium, prunorum multa genera, palma, vitis, sacchari arundines, ulmus, platanus, rhododaphne, salix, populus, et alia, quorum nomina Arabica minus cognita sunt. Semina autem et legumina, quæ illa ætate terræ mandari mos erat, hæc fere erant teste Casirio (p. 332.): triticum, hordeum, cicer, ervum, faba, pisum, gossypium, lens, lupinus, limum, pastinaca, brassica, rapum, melongena, cucurbita, rhaphanus, cæpe, melones, cucumis, anguinus, spinachium, cannabis, napus, brassica Cypria, hordeum nudum, milium, panicum, sesamum,

*) Bibliotheca Arabico-Escorialensis. I. p. 323. sq.

rhus, cuminum, colocasia, hinna, crocus, anisum, careum, melanthium, feniculum, sinapis, coriandrum, peucedanum. Sed hæc hactenus. Restat, ut de nonnullis plantarum et arborum generibus paullo uberioris disseratur, quorum cultura præ ceteris memoratu digna videtur.

Frumenti maxima copia fuisse videtur; nam quum multitudo incolarum quum urbium, tum camporum frequentissima esset, agricolarum erat penuriam et caritatem annonæ præcavere: pauca vel nulla negotiationis frumentariæ inveniuntur vestigia, quam ob rem coniicere licet maximam frumenti partem in Hispania ipsa perceptam esse. Sin vero segetes locupletiores erant, frumentum, quod supererat in rupium cavernas stramine munitas reconditum est, in quibus per multos annos integre conservari poterat. Regio Granatensis plena est his cavernis; sed tantum abest, ut hodie ex antiquo more ad frumenta condenda serviant, ut Zingaris, quos vocant, domilia præbeant. Inter varia frumenti genera præsertim triticum et hordeum colebatur; divites pane ex tritico confecto plerumque vescebantur, pauperes pane hordeaceo contenti erant. De Hispaniæ regionis ubertate annales Arabum mira prædicant: «in quibus memini me legere, Granatae reges centum fere equorum millia in sui bellique usum semper aluisse, ac bis centum millia militum stipendia merentium adversus Christianos non semel parasse » *).

Oryzam Arabes ipsa ex India in novam patriam adportaverunt et brevi in multis regionibus humidis vel iuxta oram maritimam sitis agros ea conserverunt. Valentia amplissimos oryzæ campos habebat, quin etiam hodie eorum culturæ magnam opulentia suæ partem de-

*) Casirius I. p. 338.

bet. Nam quamvis Hispani nostræ ætatis ab optimis Abu Zachariæ præceptis aberraverint, tamen antiquus mos ususque oryzae colendæ tam inveteratus et natura loci tam secunda est, ut nunc quoque Valentiae regio hortus Hispaniæ recte nominetur.

Saccharum quoque Arabes primi ex Asia in Hispaniam transtulerunt, quo maius fere et fructuosius nullum aliud fuit donum; dubium enim non est, quin ad vitæ cultum et ad mercaturam universam conformandam prope nulla planta saccharo maius habuerit momentum. Iam Abderrhamano III., qui ab anno CMXII. usque ad annum CMLXI. regnabat, florente Arabes Hispanici hanc plantam utilissimam magnopere coluerunt saccharumque in regiones finitimas vendiderunt*); quam ob causam errant multi rerum scriptores, qui putant, prima demum expeditione, quam nominant, cruciata sacchari arundinem in Europam esse transvectam; certe in Christianam Europam, concesserim; sed Hispania eam centum et quinquaginta annis ante coluit. Maximum vero inde quæstum Arabes fecerunt, quum propter luxuriam crescentem usus sacchari brevi ubique pervulgatus esset.

Vini quoque cultura inter Arabes florebat, quamvis leges sacræ eius usum vetarent; sed Hispaniæ incolæ quorum mores liberiores erant, quippe qui brevi ab antiqua morum sinceritate defecissent, valde vino indulgebant; excusabant autem hanc legis violationem eo, quod dictabant, vinum maiores animos pugnaturis dare sibi que maximo commodo esse continuis Christianorum bellis. Alhacemus II. quidem, hac defensione reiecta, vinita cædi iussit, quum vini consuetudo nimis crevisset; sed pio rege mortuo Arabes, ut antea, vitibus colendis

*) Schäfer, Geschichte von Spanien, II. p. 122.

sese dicabant. Malaca, Xera, Granata, denique eæ regiones, quæ hodie præstantissimo vino gaudent, tum quoque eadem gloria fruebantur. Magna eorum sollertia erat torrendi et conservandi uvas, quarum mercatura non videtur fuisse parva; quin etiam uvas succosas in alterum auctumnum conservare sciebant *). Sed non solum ex uvis vinum, sed etiam ex palmis, ficiis aliisque frugibus potionis vino similes faciebant.

Olivarum maxima multitudo erat; nullam arborem maiore cura colebant, neque ex ulla maiores quæstus faciebant rustici, quoniam usus et mercatura olearia copiosissima erat. Sola Hispalensis regio circiter centum millia villularum et prelorum oleariorum continuisse fertur **), neque minore cura in ceteris regionibus Hispaniæ meridionalibus oleæ serebantur.

Omnino arborum frugiferarum cultura pervulgata erat, quippe quæ facile idque permagnum commodum præbeat. Arabes etiam hac ex parte magnopere de Hispania meriti sunt, quod multas arbores plantasque novas, antea Europæis ignotas ex orientalibus terris in Europam, præsertim Hispaniam invexerunt. Nam quum mercatores eorum sæpissime in Orientem commearent, et docti homines, publicis pecuniis sæpe adiuti et auctoritate regum commoti terras remotissimas doctrinæ augendæ causa pervagarentur, necesse erat omnes plantas fere et arbores feraces iis innotescere; quarum igitur natura talis erat, ut sub cœlo Hispanico crescere possent, eas in patriam illi, utpote homines industrii et sollertes traduxerunt. Sic Abderrhamanus I. primam in Hispania sevit palmam, quæ parens innumerabilium arborum huius

*) Casiri II. p. 257.

**) Murphy, history etc. p. 271.

generis facta est. Prope Valentiam permulta palmeta erant, quorum arbores, quum non longis ordinibus, sed promiscue et temere in silvarum speciem plantatae essent, regioni illi formam quandam Africanam præbebant. Præterea illo tempore multa generosa poma et mala e regionibus mitioribus in Hispaniam propagata sunt, quæ res maioris momenti est, quam nobis leviter eam contemplatibus esse videtur. Populi enim, qui calidiores terras incolunt, propter ipsum calorem parum gravi cibo corpora curant, neque panis et carnis magnam copiam consumunt; sed plerumque pomis levioribus vescuntur et ad vires calore defessas reficiendas malis aurantiis, citris aliisque sæpissime utuntur. Itaque horum pomorum consumptio permagna eorumque mercatura admodum quæstuosa est. Denique permultæ radices et plantæ fragran tes vel salubres omittendæ non sunt, quæ eximia cura colebantur, quum propter luxuriam in quotidianum usum abiissent. Imprimis montes plantis odoratis consitî erant, ut aer gratissimum odorem spiraret. Teste Al Masudio, quem laudat Al Maccari *), viginti quinque diversa materialium odoriferarum genera in Hispania inveniebantur, quare Al Masudi eam cum India conferri posse putabat. Laudat igitur scriptor ille, ut alia omittam, costum, myrrham, crocum, cinnamomum, caryophyllum aromaticum, sandalum.

Vita igitur rustica ob hunc agriculturæ florem gratissima erat, quapropter reges et nobiles Arabum per magnam anni partem in agris degebant, præsertim quum æstatis calor et amœnissima terræ natura eos ad linquendas urbes strepitu plenas excitaret. Itaque in regionibus

*) Oriental translation fund. The history of the mahom. dynasties in Spain by Ahmed Ibn Mohamed Al Maccari translated etc. by Pascual de Gayangos. London 1840. tom. I. p. 88.

iucundis villas magnificas et hortos voluptarios exstruebant, quorum splendorem et apparatum scriptores Arabici ita describunt, ut facile eos rem nimis auxisse putemus *). Sed si ruinas et reliquias hortorum, quae hodie exstant, contemplamur, tanta movemur admiratione, ut vix dubitare possimus, quin scriptores illi parum a vero recesserint. Cordubæ circa templum illud præclarum, quod supra commemoravimus, reliquiæ exstant horti voluptarii, qui antiquam venustatem adhuc præ se fert **). Etiam pulchrior illo hortus quidam Hispalensis esse fertur, in quo laudando omnes peregrinatores consentiunt. Sed quum amor vitæ rusticæ tantus esset, ut ipsi reges sua manu flores et arbores sererent ***), summus hortorum nitor exsisteret oportuit.

Hæc habui, quæ de statu et conditione agriculturæ Arabicæ dissererem. Ceteræ enim res, quæ ad arandi, serendi, colendi rationem, ad instrumenta ceteraque similia spectant, ad propositum nostrum pertinere non videntur. Artissime vero cum materia nostra hæc cohæret disquisitio, qualis fuerit industria Arabum in colendis artibus posita; nam præclara soli natura et situs opportunus terræ non sufficiunt ad excitandam promovendamque mercaturam; hominum quoque manus artesque accedant oportet. Itaque priusquam nos ad mercaturam ipsam explicandam accingimus, nonnulla de industriæ Arabicæ operibus, de fabricis et metallis disserenda videntur. Inde enim mercatores plurimas sumunt res, quas exteris nationibus ad mercatum proponant, inde ceteri plerumque pecunias, quibus alienas merces sibi parent.

*) cf. Conde I. p. 413.

**) Imaginem præbuit Murphy: Arabian Antiquities of Spain, tab. IV

***) Conde I. 229.

CAPUT IV.

*De Arabum industria in artibus colendis, deque metallis
et fabricis.*

Artifices orientales imprimis eas res, quæ ad vitæ elegantiam et commoditatem spectant, coluerunt hodie que colunt atque operam dant, ut externam earum formam quam pulcherrimam reddant. Ipsa Orientis natura ditissima et proprium hominum ingenium, quod levius, quam Europæorum esse videtur, eos ad splendidam rerum speciem effingendam excitat. Arabici autem artifices propter venustatem et elegantiam operum summam laudem sunt adepti; Hispania enim omnia procreabat, quæ ad artes promovendas pertinent et opulentia luxuriaque regum et nobilium ampla artificibus afferebat præmia.

Iam antiquissimis temporibus Hispania propter metallorum divitias nobilissima erat, quapropter Phœnices et Carthaginenses sœpissime eo commeabant. Præsertim auri maxima copia erat, quum non solum montes, sed etiam flumina, ut Tagus et Durius, illud præberent. Auri fodinæ per totam Hispaniam diffusæ erant; sed imprimis prope Olisiponem opulenta metalla auraria erant; etiam saltus Castulonensis complura continebat. Aliæ regiones argento abundabant; præsertim Corduba et Murcia eius copia gaudebant. Memoratu dignum videtur, eas ipsas regiones, quæ auro et argento affluebant, infecundas sterilesque fuisse, id quod hodie in aliis quoque terris reperitur. Cetera metalla non deerant, ut argentum vivum, cuprum, plumbum album et nigrum, ferrum. Omnino septem Arabibus nota erant metalla, planetarum nomini-

bus insignita (ut apud alchymistas nostros); Saturnus significabat plumbum nigrum, Juppiter plumbum album, Mars ferrum, Sol aurum, Venus cuprum, Mercurius argentum vivum, Luna argentum. Sed non memini me legere, quanta metallorum copia numeris expressa fuerit; scriptores enim Arabici plerumque in universum summam terrarum opulentiam et fertilitatem laudibus efferunt, numeros certos raro exhibent*). Plurimas metallorum fodinas reges obtinebant; sed nonnullorum possessionem privati habebant, qui eas suis pecuniis effodiendas curabant. Multae quoque gemmæ reperiebantur, imprimis apud Beiam et Malacam, quarum fodinæ carbunculos quos vocant præbebant, apud Veram, ubi berylli, et apud Ubedam, ubi marcasita aurea in terra latuit. Margaritarum et coralliorum immensa fere multitudo erat; in oris maris medii prope Tarragonem, Barcinonem et Almeriam plurima legebantur. — Metallorum tractationem Arabes excellenter callebant, quæ ars vel maxime illustrissimis armorum fabricis cernitur. Thoraces enim, gladii, galeæ ceteraque Maurorum arma excellentissima erant et maxima eorum copia in Africam aliasque terras exportabatur, ut Hispania recte armamentarium Africæ nominaretur. Vasa autem et ornamenta aurea argenteaque artificum Arabicorum propter venustatem et elegantiam in summo erant honore. Adeo argento vivo ad luxuriam utebantur reges nobilesque Arabum, quum ipsa vasa marmorea eo implerent, quod affluens et defluens mirum fulgorem excitaret**). Ceteræ quoque fabricæ et officinæ Arabum præstantissima opera exhibebant; sed ne

*) cf. Al. Maccari, ed. Gayangos I. p. 89. Ousely: Oriental Geography, of Ibn Haucal p. 27. Murphy p. 266. Conde I. p. 483.

**) Murphy p. 169.

iusto latius opusculi fines extendamus, eas tantum fabri-
cas perlustrare in animo est, quarum proventus maxime
ad alios populos exportabantur.

Inter omnes fabricas nullæ maiore cum studio et
fructu agitabantur, nullæque maiorem admirationem ex-
citabant, quam officinæ sericariæ. Bombycis enim cultu-
ra iam primis Omeiadarum temporibus in Hispaniam
perlata est, quum iam seculo octavo frequens Arabum
commercium cum populis Indicis et Sericis exsisteret.
Hispaniæ temperies summopere bombyci favebat; præ-
ceteris incolæ Andalusiæ et Valentiæ eum colebant; se-
culo duodecimo in solo urbis Giennæ territorio plus sex-
centi vici pagique hac cultura occupati erant. Quam
vulgaris vestium sericariarum usus in Hispania fuerit, Con-
dius auctor diligentissimus testatur; narrat enim, Almudafarum
anno MVII. cum quatuor millibus equitum, quorum
equi cuncti stragulis sericariis ornati essent, Christianis
obviam ivisse *). In urbibus Malaca, Almeria et Mur-
cia fila aurea et argentea inter bombycina texebantur;
quorum pannorum fulgor tantus erat, ut ipsi Orientales,
quorum sollertia in his rebus elaborandis notissima est,
eos admirarentur **). — Pari modo fabricæ lanariæ
vigebant, quarum præstantiam iam eo coniicere licet, quod
inter dona, quæ complures reges Africani et Asiatici Ca-
rolo Magno miserunt, etiam vestes lanariæ Hispаниæ no-
minantur ***). Consuetudo illa, qua nostris quoque tem-
poribus lana subtilior redditur, scilicet cum ovibus per
provincias vagandi, etiam apud pastores Arabicos obti-
nebat et non male Condius ****) suspicatur, ex nomine

*) I. p. 551.

**) Al Macari, ed. Gayangos I. p. 93.

***) La Borde, *voyage pittoresque en Espagne*, II. p. XII.

****) I. p. 484.

pastorum; quos Arabes Moedinos appellabant, nomen nostrum «merino» ortum esse. — Artem corii apparandi eximie callebant, ita ut nonnulla corii genera usque ad hoc tempus nomina deducta ab urbibus, ubi olim excellentissima conficiebantur, retinuerint, ut «Corduan» et «Marroquin.» (Marocco enim urbs a colonis Hispano-Arabicis præcipue habitata est.) Bene de corio Casi-rius *): «artificium . . . admirandum, pelles videlicet concinnandi tingendique, quæ sive nigri, sive rubri coloris adeo nitent, ut ego ipse in illis velut in speculo me non semel inspexerim.» — Chartæ fabricatio in Hispania frequentissima erat; initio ad eam fabricandam linum xylinum sive gossypium adhibebatur; quod quum carius esset, Arabes Hispanici pro lana arboreæ linteos pannos viles substituerunt, lini enim cultura pervulgatissima in Hispania erat **). Præstabat autem urbs Setabis ceteris propter papyrus pulcherrimum, quod mercatores usque in Africam vendebant. — Ars tinctoria, quæ cum fabricatione bombycinorum et lanariorum arte coniuncta est, ab Arabibus perfecte tractata est; patebat enim iis aditus ad omnes Asiae meridionalis regiones, unde materiæ ad inficiendum aptissimæ adportabantur et fere nunc quoque adportantur; alumen, indicum, (cuius usus inter antiquos populos rarissimus erat), roccella (orseille), crocus (cuius nomen «saffran» ex Arabicæ lingua vel Persica derivandum est ***), cochenilla aliæque multæ materiæ tinctoriae in usu erant. — Permagnam copiam mercurium, quæ ad ornamenta vitæ pertinent, Arabes conficiebant; nonnulla huius generis exemplaria usque ad no-

*) II. p. 9.

**) Murphy, history, p. 289.

***) Beckmann, Geschichte der Erfindungen, II. p. 87.

stram ætatem conservata sunt, quæ summam artis et venustatis Arabicæ admirationem movent: dico vasa fictilia incredibili fere pulchritudine, quæ hodie in arce illustrissima, cui Alhambra est nomen, Granatæ ostentantur. — Sed hæc hactenus. Venimus nunc ad ipsam mercaturam, cuius propagatio flori agriculturæ et artium respondebat.

CAPUT V.

De mercatura.

Difficile non est causas explorare, quæ mercaturam Arabum Hispanorum ad summum fastigium perduxerint. De opportuno situ terræ, quæ ad omnes orbis terrarum regiones facilissimum aditum habet, iam supra locuti sumus. Accedebat magnus portuum firmorum numerus, quibus mare medium et Atlanticum cingebatur; Barcino, Tarraco, Valentia, Carthago nova, Almeria, Malaca, Algezira, Gades et Olisipo urbes frequentissimos portus habebant, qui castellis turribusque ad arcenos prædones maritimos muniti erant. Etiam classis regia mercatoribus præsidio erat: Abderrhamanus I. enim nonnullas aëdificavit naves longas, quarum numerum Alhacemus, eius nepos, Africanorum timore commotus magnopere auxit; Abderrhamanus autem, qui eum secutus est, pariter de re navalí Maurorum meritus est, sed eorum classes non tam bellis et victoriis magnis nobilitatæ erant, quam prædationibus et incursionibus inopinatis metuebantur. Piratæ imprimis navibus mercatoriis insidiabantur, sed oras quoque et urbes, imprimis Christianorum invadabant, quapropter hi par pari referentes Mahomedanorum naves urbesque adoriebantur. Hispanici igitur prædones, quum regum auctoritate latrocinarentur, et publico fruerentur præsidio, mercatoribus Hispanicis quo-

dammodo usui et auxilio erant. Præcipua vero causa mercaturæ florentissimæ erat Arabum opulentia, luxuria totiusque cultus magnificentia, quæ invicem ipsa mercatura augebatur. Accedebat ingenium acre, ad agendum et negotiandum promptum, quod longe ab inertia Hispanorum, ut hodie sunt, differt. Attamen commemorandum est, magnam mercaturæ partem penes Iudæos fuisse. Arabes enim, quum in Hispaniam traicerent, Iudæis, qui a Gothis oppressi erant, admodum favebant eamque ob causam ab his in expugnanda terra magnopere adiuti sunt. Postea quoque reges nobilesque Arabum Iudæos favore complectebantur; contigit igitur iis, ut immensas divitias sibi compararent magnamque negotiorum ad se raperent partem. Omnes urbes mercatoriæ Iudæis referuntæ erant, qui ex more gentis suæ non agriculturam et artes, sed unam mercaturam fenusque exercebant *). In quantam ii multitudinem paullatim accreverint, expulsorum numerus satis testatur, quum anno MCDII. Isabella regina eos aut Christianos fieri, aut terram relinquere iussisset: tum amplius centum et sexaginta millia familiarum demigrarunt. Denique illud quoque ad promovendam mercaturam valuit, quod Mohammedani per totam Africam Asiamque diffusi doctrinam suam et sermonem ubique disseminarant non solum in illis civitatibus, quas ipsi obtinebant, sed etiam extra fines horum regnorum. Hæc fidei, morum et linguae consensio in tantis ac tam longinquis civitatibus vigens, opulentia et luxuria omnium accedente, effecit, ut mercatores Arabici totum fere Orientem expedite pervagari possent.

Magnum momentum annuæ peregrinationes in Meccam habebant: Mohammedes enim omnibus, qui partibus

*) Mémoires sur le commerce de l'Espagne, cap. V. p. 146.

suis addicti erant, præcepit, ut semel saltem Meccam, quod caput rituum sacrorum fecerat, proficiscerentur ibique deum prophetamque eius venerarentur. Quo factum est, ut brevi quotannis magna hominum multitudo ex omnibus fere terræ regionibus in urbem sacram confluenteret, præsertim quum multis non sufficeret, semel prophetæ sepulcrum vidisse. Qui vero in urbem sacram profecturi erant, certis anni temporibus in oppida opportuna conveniebant et duce præfecto (præsidioque constituto, ubi præsidio opus erat) iter instituebant. Itaque consentaneum erat, mercatores tanta hominum frequentia ad proponendas merces suas usos esse; simile quid apud nos vidimus medio ævo. Quin peregrinationes sacræ brevi cum commeatis mercantium coniunctæ sunt; nam commoditate et securitate, quam frequentissima illa agmina præbebant, mercatores commoti sunt, ut ad societatem peregrinantium se applicarent et vel totum iter vel partem eius una cum illis conficerent. Mecca igitur et eæ urbes, in quibus complures comitatus et agmina peregrinantium se coniungere solebant, frequentissima et copiosissima fora habebant.

Mercatores quum in ipsa Hispania, tum in aliis terris negotiabantur. De illa interna, quam vocant, mercatura parum comperti habemus; attamen eam copiosissimam fuisse recte existimamus. Etenim quum unaquæque fere provincia rebus quibusdam, quas procreabat, ceteris præstaret, perpetuum commercium inter singulas extitit. Reges autem ad id augendum operam dabant, ut publicæ viæ munirentur, pontes exstruerentur, deversoria ædificarentur. Eorum cura in his rebus posita assidua et perpetua erat, quum viæ commodæ non solum in pace ad mercandum, sed etiam in bello ad ducendos exercitus maximo usui essent. Itaque iam Iussuf, Hispaniæ præfector, qui ab Abderrhamano I. de-

victus est, tertiam vectigalium partem ad vias aperiendas publicas destinavit ceterique semper reges summam diligentiam in hanc rem contulerunt. Omnes urbes masculæ viis expeditis coniunctæ erant, et sic facile explicamus, quomodo fieri potuerit, ut Edrisius*) ceterique Arabici accuratissime intervalla urbium cunctarum memoriae prodiderint. Canales quidem permulti effossi erant; sed tantum agricolis usui fuisse videntur; certe non memini me legere, eos navibus iter præbuisse. Viæ autem publicæ diligenter conservabantur; multi earum curatores per totam Hispaniam instituti erant, quibus iisdem munus cursus publicos exercendi erat mandatum. Sed hi cursus publici ad privatorum mercatorumque negotia tractanda destinati non erant, rebus publicis tantummodo inserviebant**). Urbes primariæ, quæ hanc internam mercaturam exercebant, Corduba, Toletum, Augusta Emerita, Murcia erant; posteris temporibus Granata. Hispania quidem in complures provincias, quas præfecti regii (wali) administrabant, divisa erat; sed in earum finibus vectigalia interna, quæ appellantur, exacta esse non videntur, quæ res in ceteris terris medio ævo mercaturæ magno erat impedimento. Ad portas urbium vectigalia nonnullarum mercium pensitabantur ineuntium, id quod primum ab Abderrhamano II. circiter annum DCCCXV institutum esse videtur. Cordubenses novam hanc legem ægre ferentes seditionem concitataverunt, quam rex crudelissime coercuit***). Sed multo copiosior, quam hoc commercium provinciarum, externa, quam vocant, erat mercatura. Itaque primum de regionibus quas mercatores Hispanici adire solebant, disse-

*) Geographus Nubiensis ed. Sionita, p. 156. sq.

**) Conde I. p. 283.

***) Conde I. p. 251.

rendum est, et de mercibus, quas exportaverint vel in-
vexerint, tum de primariis urbibus, quae sedes præcipue
mercatorum fuerint.

Mercatura, quæ medio ævo vigebat, maximam qui-
dem partem terrestris erat; nam neque novæ terrarum
partes, quas Oceanus a nobis separat, illo tempore in-
notuerant, neque pyxis nautica certum iter per avia ma-
ria præbebat. Plurimæ merces per magnos mercatorum
comitatus e remotis Asiæ et Africæ atque Europæ regio-
nibus in urbes mercatorias apportabantur. Unicum fere
mare frequens nautis tum medium erat, cuius pars
tantum est pontus Euxinus; paullatim accedebant maris
Indici et Atlantici partes eæ, quæ ad continentem ver-
gunt. Arabum vero, qui Hispaniam incolebant, merca-
tura præsertim maritima erat, quum pæninsulæ situs eos
cogeret navibus ceteras terras adire. Terra autem pro-
xima, ad quam visendam natura ipsa invitabat, erat
Africa, de qua primo loco disserendum esse videtur.

Africam Arabes in tres partes divisorunt; pars orien-
tal is nominabatur Dejar Mesr, i. e. Aegyptus, pars media
Magreb al ausah, i. e. Cyrenaica et Numidia, occiden-
tal is Magreb al acsa, quam Romani Mauretaniam nomi-
nabant. Eæ tres partes, quæ initio in ditione Califarum
Asiaticorum fuerant, brevi Hispaniæ exemplum secutæ
proprios reges habere cœperunt, quorum regna, quam-
vis multæ seditiones ea turbarent, admodum florebant.
Tumultus quidem et bella illa mercaturæ quoque noce-
bant; attamen, quum plurimæ urbes mercatoriae in oris
maritimis sitæ essent et comitatus, qui interiorem Afri-
cam adibant, modo desertis defenderentur, mercatores
satis tuti ab offensionibus erant. Plerique autem nego-
tiatores ex Hispanica gente orti erant, quum complures
urbes Africanæ commercio floentes ab Arabibus Hispani-
cis essent conditæ vel præcipue habitatae, ut Fezza,

Oran*) aliae. Cum his, quorum plurimi mercaturæ vel artibus operam navabant, Hispani arte coniuncti erant, qui non solum mercaturam maritimam, sed etiam terrestrem in interiores Africæ regiones exercebant. Hanc igitur primam perlustrare placet.

E regione Hispaniæ sitæ sunt Tingis et Sebta, quæ vincula Hispano-Africanæ mercaturæ nominat Abulfeda**), geographus illustrissimus; earum portus et navibus mercatorii et longis stationi erant. Inde Fezzam commebatur, quæ urbs, anno DCCCCVII a rege Edrisio condita, brevi caput terræ et mercaturæ facta est, quum multi Africani et Hispani vel vi coacti, vel loci ubertate et opportunitate commoti ibi consedissent***). Negotiatores quum hoc forum frequentissimum reliquissent, diversa itinera sequebantur; aut enim Austroafricum versus urbes ad mare Atlanticum spectantes adibant, aut ad meridiem in Nigritiam proficiscebantur, aut orientem versus in urbes Africæ borealis. Illud iter, quod secundo in loco posuimus, memoratu dignissimum videtur esse. Namque propter difficultatem et longinquitatem itineris omnes mercatores interiorem Africam adituri sese coniungebant magnosque formabant comitatus, qui instar exercitus quotannis constituto tempore deserta arenosa peragrabant; et quamvis sæpe multa millia hominum arena obruta interirent, tamen alii ab itinere quæstuo non abhorrebant. Atlante superiecto post viam tredecim dierum mercatores Segelmesam attingebant, urbem prope deserta sitam, incolis frequentissimam et viatorum eun-

*) Casirius, bibl. escur. II. p. 2.

**) Geographie d'Abulfeda, trad. par Reinaud, tom. II. p. 186.

***) Abu Obaidæ geographia, cf. notices et extraits des manuscrits de la bibl. du roi, tom. XII. p. 574.

tium atque redeuntium quasi centrum*); in eam enim confluebant omnes, qui Nigrum flumen adituri erant. Namque media Africa, ut nostris quoque temporibus, magna et opulenta regna continebat, quorum incolæ præclaram dabant mercatura fructuose facultatem. Capita regnum primariæ negotiationum sedes erant, quarum nulla frequentior et copiosior erat, quam Gana, maximum interioris Africae forum, in quod teste Edrisio**) inde ab extremis Occidentis partibus plurimi homines confluebant. Inde occidentem versus Sala, Tocrur et Berisa, urbes celeberrimæ sitæ erant, orientem versus prope lacus mediterraneos (quorum maximo hodie nomen « Tschad » inditum est,) Tirca, Semegonda, Cauga multaque aliæ urbes mercibus abundantes. Operæ quidem est pretium, situm urbium illarum percontari, populos ibi habitantes eorumque mores describere, imprimis ea, quæ ab Arabicis scriptoribus de flumine illo fabuloso, Nigro, tradita sint, uberioris commemorare; sed haec longiora sunt et nimis a proposito nostro abhorrent; nomina vero urbium illarum non omisimus, propterea quod mercatura earum vel maxime ab Hispanicis mercatoribus exercebatur. (Non dubito, quin ab iis potissimum Edrisius, scriptor geographiæ gravissimus, ea, quæ de Africa interiore tradidit, acceperit; natus enim erat Sebtæ anno MXCIX et Cordubæ litteris operam dedit; ipse autem regiones illas non vidit; neque vero alii viri docti per multi eas perlustrarunt; certe inter innumera exempla itinerum, quæ a viris doctis discendi causa facta esse, Murphius, Condius aliique rerum scriptores commemo-

*) Edrisii (*Geographi Nub.*) *Africa*, ed. Hartmann p. 145. Abu Obaid p. 599.

**) *Africa*, ed. Hartmann p. 34. sq.

rānt, ne unum quidem offendere memini in Nigritiam factum; viri enim docti imprimis terras litterarum cultura florentes spectasse videntur). Merces autem optatissimæ harum regionum aurum et servi nigri erant et magna eorum copia quotannis in terras septemtrionales exportabatur. Auri collectionem Edrisius*) hoc modo describit: « Mense Augusto, ait, ubi aestus fervet, inundat Nilus (i. e. Nilus Nigrorum, quem vocant, sive Niger) et obruit aqua vel totam hanc insulam, (regnum Wangaram insulam a Nigro circumdatam esse Edrisius putat) vel maiorem saltem eius partem, cuius rei causa incolæ se inde recipiunt. Decrescente vero Nilo ac nondum penitus in alveum collecto insulani nigri iterum convolant, in suum quisque locum, atque omne tempus, dum decrescit Nilus, in eo consumunt, ut terram effodiant, quo facto quisque, quod dei gratia ei conceditur, plus minusve auri recipit. Omni autem Nilo in alveum regresso convenient vendentes, quod receperunt, et inter se mercantes. Maximam autem huius auri partem emptio- nis iure recipiunt Vareclanitæ et Occidentis extremi homines et ex illo domum reportato nummos cudunt, quibus mercantur. Id quotannis fieri solet. » — Servi autem nigri, quorum magna multitudo in omnes terras Mohammedanas quotannis exportabatur, regiones ab urbe Gana meridiem versus sitas habitabant; hi populi multo ferociores et incultiores erant, quam incolæ Salæ, Ganæ et Wangaræ, qui mercatorum Arabicorum et Aegyptiorum usu ad aliquam humanitatis speciem conformati erant. Reges igitur Ganæ ceterorumque regnorum cultorum feros illos et barbaros populos, quorum regiones universas Arabes « Lamlam » adpellabant, quotannis ado-

*) Edrisii Africa, ed. Hartmann p. 49.

riri captosque nigros mercatoribus vendere solebant. Hi in foris Hispanicis venibant et nobilibus ad augendam familiæ magnificentiam famulabantur; reges vero nigros corporis custodes habebant, quibus maior fides habita esse videtur, quam ipsis Hispano-Arabicis*). Numerus eorum non exiguus erat, multique postea in ipsis Mohammedanorum exercitibus militabant. Attamen servi Slavonici, de quibus post loquemur, in maiore honore Africanis erant; omnes autem servi, quum linguam Arabicam docti non essent, plerumque « muti » appellabantur. — Præterea mercatores ex interiore Africa multas alias merces exportabant: ebur, cuius usus in Hispania propter ædificiorum magnificentiam pervulgatus erat; pelles ferarum, quibus equites pro stragulis utebantur, ipsas belias, ut leones, pardos, camelio-pardales, alias, quas in hortis suis delectationis causa nobiles alebant; vestes ex lapide quodam, cui nomen erat tamtaghint, textas, quæ comburi non poterant**), (dubium non est, quin lapis ille asbestos vel amiantus fuerit) aliasque merces, quas terra ferax procreabat. —

Sed iam Fezzam, unde egressi sumus, revertimus; inde præter eam, quam modo exposuimus, viam mercatores duplicem cursum instituebant vel Austroafricum versus usque ad oras maris Atlantici, vel in Orientem secundum mare medium. Occidentales enim Africæ regiones, ubi Atlas mons ad mare demittitur, fertiles et opulentæ sunt atque incolæ industrii illa ætate copiosum instituebant omnium rerum mercatum, quas vel ex officinis suis vel ex solo frugifero percipiebant; sed propter terræ recessum totum fere commercium penes Hispanos

*) Conde I. p. 454.

**) Ibn al Vardi confr. not. et extraits etc. II. p. 37.

erat. Incolæ imprimis in agros colendos, in officinas sericarias et lanarias atque in rem metallicam incumbabant. Priusquam Jussuf ben Tashfin anno MLXXVIII Marocconem, urbem modo florentissimam, condidit, Agmat et Asila fora frequentissima illius regionis erant; hac in urbe quotannis tres nundinæ celeberrimæ instituebantur, quas plurimi mercatores Hispanici obibant. Inde ab urbe Nuna, quæ extrema regni erat, deserta arenosa porriguntur, quæ per totam Africam a mari Atlantico usque ad Aegypti fines in immensum patent. Attamen nonnumquam comitatus mercatorum viam periculosissimam secundum maris littora usque ad flumina maxima, quæ hodie Senegal et Gambia appellantur, perpetrasse videntur, quamquam nulla eorum mentio a scriptoribus Arabicis, qui nobis ad manum sunt, fit: quam rem ita fortasse explicare licet, ut fluminibus illis commune Nigri nomen impositum fuisse statuamus. Abu Obaida*) enim urbem illam ab insula Ulile duorum mensium iter abesse affirmat; veri simile autem est, hanc insulam vel urbem, quam saepius a mercatoribus frequentatam esse scimus, ad ostia Senegalis in provincia, cui hodie Oualo nomen est, sitam fuisse**). Difficile autem dictu est, quantum nautæ Arabici in mare Atlanticum progressi sint; mercatores navibus suis ultimam illam urbem excessisse parum est credibile, quum inde

*) I. I. p. 636.

**) Stuevium enim in libro ceterum præstanti (Die Handelszüge der Araber) errare puto, qui opinatur, insulam Ulilem ad Nigri ripam prope urbem, cui hodie est nomen Timbuctu, sitam fuisse; omnes enim fere scriptores Ulilem insulam ad mare sitam et salis ditissimam nominant, quod utrumque ad regionem illam non pertinet. Cf. Abulfeda II. p. 213. Ibn al Vardi I. l. p. 35. Edrisius ed. Hartmann p. 28.

littus arenosum portus non præberet. Attamen nonnulli homines vel tempestatibus pulsi, vel sciendi cupiditate commoti altius in tenebrosum, quod Arabes vocabant, mare penetrasse videntur; certe scriptores Arabici nonnullas naves Africam mari continuo circumdatam superrasse contendunt et promontoria quædam navibus periculosisima fuisse narrant, quæ res posterior quodam modo in promontorium bonæ spei, quod nominant, congruere videtur; illud enim a Lusitanis initio promontorium procellarum appellatum esse omnes scimus*). Attamen hæ navigationes non carent suspicione, quum contra morem scriptorum Arabicorum nihil certum et mirabile (id quod hac in re etiam suspectius est) memoriaræ proditum sit. Aliam vero octo virorum Olisiponensis expeditionem maritimam occidentem versus ad detegendas novas terras factam omnes fere scriptores commemorant. Illi quum undecim dies vento secundo in occidentem navigassent et deinde se in meridiem vertissent, post viginti quatuor dies ad insulam bene cultam appulerunt, cuius rex benigne eos exceptit et narrato patris simili conatu irrito eos in Africam remisit, in quam post tres dies pervenerunt**). Quæ hæc insula fuerit, dubium est, sed verisimile, eam unam Canaridarum fuisse; certe parum consentaneum esse videtur, Americam statuere, id quod Des Guignes fecit. Sed missam faciamus hanc rem; tales enim expeditiones maritimæ quum singulares tantum et irritæ essent, in mercaturam momentum non habuerunt.

Copiosissima vero mercatura Arabum Hispanicorum erat in septentrionales Africæ regiones, quæ ad mare

*) Abulfeda ed. Reinaud II. p. 184.

**) Edrisius ed. Sionita p. 157. Ibn. al Vardi II. p. 25. Abu Obaida XII. p. 564.

medium spectant. Nam Africa quoque ut Hispania non diu in ditione Califarum Asiaticorum erat, sed exeunte seculo octavo complura regna libera extiterunt, quæ quamquam singula seditionibus crebris turbata sunt neque in longum tempus producta, tamen effecerunt, ut capita regionum brevi accrescerent et quum regum, tum mercaturæ et artium sedes fierent. Edrisidæ ab anno DCCCLXXXVIII Mauretaniam antiquam obtinebant et Fezzam urbem capitalem condiderunt; Aglabidæ circiter annum DCCC regia potestate potiti primum Cairavanam, tum Tunetem sedem habuerunt; Fatemidæ Mahadiam ædificaverunt, Badisidæ Aschirem; Zeiridas, Almoravidas et Almohadas nominasse satis erit, quum temporis spatium, quod potissimum spectamus, excedant vel tantum attingant. Hæc regna admodum florebant, certe urbes primariæ, quæ ab Arabibus Hispanicis maxima commoda percepérunt. Namque Christianis Hispanicis magis magisque procedentibus multi Arabes e sedibus suis pulsi vel timore Christianorum commoti in Africam sese contulerunt; quo factum est, ut commercium terrarum dum florens in dies cresceret atque Arabes Hispanici et divitias et doctrinas artesque in novam patriam transserrent. Longa urbium florentissimarum series oras maris medii ornabat; aliae in interiore terra sitæ erant; illæ plerumque portibus excellentibus, hæ agris gaudebant fertilissimis. Præ ceteris dignæ sunt quæ nominentur, Telemsena, Vahran, (Oran, ab Arabibus Hispanicis anno CMIX condita) Mazaganna, Algerium, Tahort, Constantina, Cairavana, cuius forum plateam occupabat, quæ totam urbem duo milliaria longam secabat, Tunes, iam tum propter prædationes maritimas nautarum terror, Mahadia, portu et armamentario maritimo nobilitata, Susa, cuius fabricæ sericariæ excellebant, Tripolis, Barca, unde sæpissime per oases Augilam, Zavilam et Audago-

stam in interiore Africam commeabatur, denique Alexandria et Fostat (Cahira), Aegypti fora celeberrima, in quæ totius Orientis et Occidentis mercatores confluebant. Africana igitur mercatura tota fere in manibus Arabinum erat Hispаниorum, quam ob causam uberius de hac terræ parte locuti sumus. Importabantur autem imprimis arma Hispanica*), vestes et aulæa bombycina et lanaria, vasa fictilia eximiae pulchritudinis, oleum, saccharum, corium, papyrus, denique merces multiplices, quæ ad luxuriam pertinent. Reportabantur diversæ res, quas vel terra Africana, vel fabricæ urbium gignebant, velut cuprum, ferrum, dactyli, equi præstantes, corium; bombycinæ fabricarum Susanarum telæ (Susa non multum ab urbe Tunete distabat) duplice auri pondere emebantur**). Plurimæ merces orientales, ut supra memoravimus, in foris Alexandriæ et Fostatæ sive Cahiræ venibant, ut aromata, balsamum, aurum, gemmæ, pelles, telæ et aulæa sericaria, margaritæ, ebur, ebenum, piper, cinnamomum, medicamenta, aliæque res***), Simil Alexandrini maximam servorum mercaturam exercabant; quæ res quum memoratu dignissima sit, consentaneum esse videtur, uberius de ea disserere eamque totam, ne infra ad eandem redeamus, explicare. Multo enim copiosior et memorabilior, quam mercatura nigrorum servorum, de quibus supra disputavimus, eorum erat, quos, quum plurimi Slavi essent, scriptores Ara-

*) By the Africans the temper of the Spanish arms was held in the greatest repute; Spain being as it were, the arsenal, whence they drew their cuirasses, bucklers, casques, scymetars and daggers. Murphy, history of the Mahom. empire in Spain p. 267.

**) Abu Obaid. p. 488.

***) Cf. Ebn Haucal ed. Ouseley p. 133.

bici Slavonicos nominare solent. Barbari enim populi, qui terras ab Albi flumine usque ad Oarum patentes incolebant, homines, quos crebris bellis inter se gestis cuperant, vendere solebant; e regionibus, quas Albis, Viadrus et Vistula perfluent, plurimi captivi secundum Danubium Constantinopolim et inde imprimis Alexandriam ducebantur; alii, qui ex antiqua Sarmatia et monte Caucaso oriundi erant, e portibus maris Caspici et Ponti eodem transportabantur*). Tamen non solum viri et adolescentes, sed etiam puellæ in foro Alexandrino venum ibant, præsertim pulchræ et artis alicuius peritæ, quarum magna multitudo in gynæceis regum et nobilium animi causa habebatur**); cantatri-
ces præ ceteris in honore erant. Scriptores Arabici complures ancillas commemorant, quæ propter ingenium et artem poeticam regibus acceptissimæ fuerunt***); utrum hæ quoque servæ natione Slavonicæ et ab infantia litteris Arabicis imbutæ fuerint, an in Hispania ipsa natæ, non habeo, quo accurate disceptem; hoc vero constat, servos Slavonicos virilis sexus a pueris arte et doctrina Muhammedana educatos esse, quibus adultis reges ut corporis custodibus uterentur****). Slavonicis autem custodibus præcipuus honor et fides habebatur; plerumque hi penetralia domus regiæ tueban-
tur, dum Hispanici et Africani exteriores partes præsidiis firmant; eam ob causam in enumeratione †) servorum regiorum a scriptoribus primo ponuntur loco. Abder-

*) Ramnusii historia belli Constant. p. 42. sq. Abulfeda ed. Reiske in Büschings Magazin, tom. IV. p. 365.

**) Conde l. I. p. 250. 442.

***) Conde l. I. p. 457. et al.

****) Al Maccari ed. Gayangos l. p. 389. (nota editoris).

†) Conde l. I. p. 415. et passim.

rhamanus III. quatuor millia seryorum Slavonicorum habuit; quum Almanzor, dux Arabum illustrissimus, Hispaniam administraret, permulti Slavi in eius exercitibus militabant*). Nonnullis adeo contigit, ut ad summos accederent honores: Zohair et Cairan, uterque natione Slavus, regia potestate Almeriae potiti sunt; in tempestibus intestinis, quae Almanzore mortuo (anno MII) regnum labefactabant, Slavi maximum habebant momentum, ut ex eorum arbitrio summa rerum gereretur et magistratus amplissimi iis mandarentur**). Sine dubio illi erant liberti, sive a dominis sponte manumissi, sive ipsi opibus suis se in libertatem vindicaverant; puellas quoque indole et doctrina insignes nonnumquam libertate donatas esse, exemplum Redhiæ illustrissimæ testatur***), quae post Abderrhamani III. obitum in Orientem profecta summam omnium excitavit admirationem. Tamen non solum ex longinquis illis regionibus, verum ex terris quoque finitimis, ut Gallia****) et Britannia servi in Hi-

*) Casirius (II. p. 206.) eos Scalabitas (i. e. Illyrios) nominat, fortasse eam ob causam, quod Venetiani iam exente seculo decimo Istriam et Dalmatiam occupantes captivos Illyrios in Hispaniam veno exercebant.

**) Conde I. p. 565.

***) Conde I. p. 479.

****) Al Maccari ed. Gayangos I. p. 380. (nota): Every thing tends to prove, that this unnatural trade was carried to a great extent in France during the middle age, for the object here specified by the writer. During the repeated and savage incursions of the Hungarians and other northern nations such prisoners as remained in the hands of the Franks were taken to the spanish frontier and there sold to the moslems, as we learn from the testimony of several christian writers themselves . . . Ibid.: above all things male and female slaves taken in war with the Franks and Galicians, besides Slavonian eunuchs, who are very much esteemed. These are brought

spaniam adportati sunt. Reges Christiani et clericci sum-
mopere huic mercaturæ fœdissimæ resistebant, præser-
tim quum plerumque Judæi ex ea quæstum facerent:
Agobardi episcopi Lugdunensis exstat epistola ad Ludo-
vicum Pium, in qua hæc sunt verba: «prædicavimus
Christianis, ut mancipia eis (Judæis) Christiana non ven-
derent, ut ipsos Judæos Christianos vendere ad Hispa-
nias non permetterent*).» Haec epistola testimonio est,
Caroli Magni legem, qua anno DCCLXXIX cautum erat,
ne mancipia extra regni fines venderentur, brevi esse
neglectam. Pari modo Britanni sive Saxones sanctissimas
humanitatis violabant leges**); et frustra reges et cleric-
orum concilia immanem mercaturam prohibere sunt
conati; quo acriores poenæ erant, quæ comprehensis
irrogabantur, eo studiosius et cautius ceteri mercaturam
furtivam exercebant. Multi quoque servi Hispaniam pa-
triā habuerunt; nam Arabes in Christianos fines irruen-
tes, iuvenes et puellas in servitutem abripiebant; quos,
nisi pecunia vel pacto redimebantur, vel ipsi servos ha-
bebant, vel in Africam vendendos mittebant. Almanzor
anno CMLXXXI cum novem millibus captorum Christian-
orum Cordubam rediit et Abdalla Toleti præfectus
eodem anno quatuor millia Toletum deduxit, postquam
parem captivorum numerum in itinere trucidari iussit***).
Complura vero extant testimonia, quibus abunde effi-
citur, Christianos sæpe pari crudelitate in Mohammeda-
nos captos consuluisse. Multi igitur homines in dura
Mohammedanorum servitute tenebantur; papæ quidem

from the countries of the Franks, where they are castrated
and brought by Jewish merchants. cf. Al. Macc. I. p. 76.

*) Agobardi opp. ed. Baluz. I. p. 62.

**) Scriptt. rer. Gall. ed. Chesnus I. p. 628.

***) Conde I. p. 500.

operam dabant, ut hanc saltem prohiberent immanem mercaturam; sed diu eorum studia irrita fuerunt. Namque Veneti et Genuenses etiamtum seculo quarto decimo homines emptos ex ponto Euxino in Aegyptum navibus vehebant.

Restat, ut mercaturam, quam Arabes in Europam et Asiam exercebant, paucis verbis pertractemus; brevibus enim nobis licet esse, propterea quod mercatores rarius in has terras commeabant. Syriae enim urbes, quae summopere mercatui operam dabant, quum in eas Asiae merces confluenter, ab Hispanis frequentatae esse non videntur; certe scriptores eam rem, quantum ego scio, non commemorant. Quae Asia procreabat, ea ex mercatibus Cahiræ, Alexandriæ et Damiatæ potissimum in Hispaniam traducebantur. Magnum vero inter Græciam (i. e. imperium Romanum orientale) et Hispaniam Omeiadum tempore erat commercium, quam rem a scriptoribus nostris accuratius non esse expositam valde miror *). Dubitationem vero ea res non habet. Reges enim utriusque terræ societate coniuncti erant, quum idem periculum eos perterreret. Namque Califæ orientales et Hispaniam ab Omeiadis occupatam repetebant, quum sese legitimos præ se ferrent esse Mohammedis successores, et imperatores Byzantinos continuis lacescebant bellis ipsamque Constantinopolim non semel adoriebantur. Complures igitur splendidæ legationes de fœdere feriendo communique bello in Califas gerendo ab imperatoribus in Hispaniam missæ sunt, quæ quamvis ad defendendos utriusque regni fines et mutua auxilia mittenda parum prodessent, tamen commercii frequentis præstabant facultatem. Ex pactione enim portus

*) Hüllmannus in libro ceterum præstanti, qui inscribitur: der byzantin. Handel, ne verbum quidem de ca re facit.

utriusque regni mercatoribus ultro citroque commeantibus ita patebant, ut pari iure et privilegiis uterentur. Sed Græci portus Hispanicos non obibant, quippe qui tantum alienis mercatoribus fora præbere consuissent, in quæ alteri conferrent, unde alteri quærerent merces: non ipsi mercaturam exercebant, ab aliis exerceendam in urbibus suis opportunis curabant. Arabes vero Hispanici sæpe quum alios portus, tum Constantinopolim adibant, quæ urbs ea ætate crebrum omnium Orientalium et Russicarum mercium erat emporium. Quum aula imperatoria Byzantina luxuria diffueret et imperatores insanæ califarum magnificentiæ imitandæ studerent, merces Hispanicæ ad eam pertinentes magno cum quæstu ibi vendebantur. Constantinopolis autem summa gaudens opportunitate non solum mercibus Asiaticis abundabat, sed etiam Russi, postquam ineunte seculo decimo pactionem cum Græcis fecerant, res suas vendendas, præsertim servos et pelles, in hunc portum congerebant. De servis supra locuti sumus; pellum vero negotiatio copiosa erat, propterea quod omnium gentium reges atque nobiles hoc vestium ornamento libentissime utebantur. Inter eas res, quibus dux quidam Abderrhamanum III. regem donavit, centum et decem pelles martium Chorasanarum enumerantur *). Fischerus, præclarus mercaturæ Germanicæ scriptor, copiosum mercium, quæ Constantinoli tum venum ibant indicem edidit **).

In ceteram Europam mercandi consuetudo rara et infrequens tempore Omeiadaru[m] fuisse videtur. Etenim urbes Italiæ, quæ postea universam fere mari[m] medii mercaturam ad se rapuerant, ante seculum undecimum

*) Conde I. p. 440.

**) cf. tom. I. c. 29. et 30.

re navalí parum valebant. Priusquam Christiani ad Palaestinam recuperandam cum maximis exercitibus mare traiecerunt et ipsas Mohammedanorum terras adorti sunt, Arabicæ classes in mari medio dominabantur. Omnes enim fere insulæ, Baleares, Sardinia, Corsica, Creta, Sicilia, in Arabum ditione erant, etiam cunctæ oræ orientem, meridiem et occidentem versus sitæ. Potentia eorum seculo nono et decimo tanta erat, ut multitudini, felicitati et audaciæ eorum neque Graeci et Itali, neque Hispani ac Franci prospere resistere possent. Totum mare medium navibus occupabant piraticis, quæ navibus Christianorum mercatoris insidiabantur easque intercepiebant. Ne urbes quidem ab eorum incursionibus tutæ erant; ipsam Roman ter adorti sunt; Tarentum, Barium, aliasque Italæ inferioris urbes aliquamdiu obtinebant; notissima clades est illa, qua anno CMLXXXII Ottonem II. imperatorem Germanicum ad Tarentum affecerunt; anno CMXXXIV Genua potiti viros trucidaverunt, feminas puerosque in servitutem asseruerunt. Tria illo tempore castella firmissima et ad prædandum opportunissima occupata tenebant, in monte Garrano, in ostio Liris fluminis et in littore Ligustico, Monocum dico. Itaque mercatoris Christianorum navibus undique summa pericula imminebant. Attamen omittendum non est, Mohammedanorum quoque naves sæpe a prædonibus Mahomedanis interceptas esse atque paullatim a Christianis naves longas esse instructas, quibus se ab illorum impetu defenserent. Hoc igitur constat, fieri non potuisse, ut Europæi ante seculum undecimum magnam exercerent in mari medio mercaturam. Accedit, ut omnes fere terræ, imprimis Italia, Gallia et Germania in plurimas partes divisæ essent, quorum principes, infirma regum auctoritate contemta, continuis sese bellis infestabant. Internas vero clades barbarorum hostium incursions, Normannorum et Hungarorum, augebant. Ita-

que rerum scriptores, qui ante annum millesimum florerunt, nihil de splendore urbium Christianarum, quorum opulentia postea omnium oculos perstrinxit, memoriæ prodiderunt. Nihilominus non recte affirmatur, mercaturam Europæorum ætate illa fuisse nullam et plane iacuisse. Aliquam statuamus negotiationem necesse est: testes enim sunt temporum illorum scriptores, quorum singulis documentis efficitur, ut iam seculo octavo et nono mercatoribus Europæis via ad ipsas Mohamedanorum terras patuerit. De servorum mercatu supra locuti sumus; Venetos iam octavo seculo ei deditos fuisse hic Anastasi^{*)} locus testatur: «Contigit plures Venetorum hanc Romanam advenisse in urbem negotiatores: et mercimoniⁱ nundinos propagantes multitudinem mancipiorum virilis scilicet et feminei generis emere visi sunt, quos et in Africam ad paganam gentem nitebantur deducere.» Quum duces Venetiani hunc quæstum prohibere studerent, mercatores mancipia a prædonibus emebant, donec hoc quoque vetitum est **).

Papæ vero omni mercaturaæ Mohammedanæ adversabantur et saepius edicto sanxerunt, ne quis Sarracenis arma et ligna ad naves ædificandas apta venderet; auctore Leone pontifice maximo anno CMVII. magistratus summus Venetorum legem tulit, ne quis in Aegyptum et Syriam mercandi causa comearet. Qua lege, quum Syria tantum et Aegyptus nominentur, demonstrari videtur, Venetos Hispaniam Mohammedanam tum non adiisse; sed quum saepius repetita sit, facile intelligitur, quæstuosissimam hanc negotiationem intermissam non esse. Quin

^{*)} Anastasius in vita Zacharie P. R. ad annum 747.

^{**) Danduli chron. ad annum 873; ap. Muratorium script. rer. Ital. tom. XII.}

iam in eunte seculo nono mercatores Massilienses, Avenienses et Lugdunenses bis quotannis Alexandriam navigasse et merces Indicas Aegyptiasque emisse dicuntur; Hüllmannus *) quidem hanc rem quodammodo addubitat; sed nescio num recte, quum Massilienses teste Gregorio Turonensi **) iam seculo sexto in Aegyptum commeaverint; hoc concesserim, hanc mercaturam certo illo et continuo ordine factam non esse. Genuenses et Pisani ante seculum duodecimum mercaturæ Mohammedanæ operam dedisse non videntur; certe testimonia scriptorum desunt. Omnino pauca sunt documenta, quæ negotia Christianis cum Arabibus Hispanicis fuisse, certis rebus et singularibus propositis, testantur. (Obliviscendum non est, nos tantum Omeiadarum tempora spectare: scriptores enim tertii decimi seculi multa proferunt exempla frequentis commercii.) Sed veri simile non est, eos mercatores Iudaicos vel Christianos, quos iam nono saeculo mancipia in Hispaniam deduxisse constat, solum hoc egisse, ut servos venderent; statuendum esse videtur, eos occasionem oblatam alias quoque merces vendendi et emendi non prætermisisse et scriptorum culpa esse factum, ut illo mancipiorum mercatu admodum prævalente ceterarum rerum mercatura commemorata non sit. Quid, Genuenses et Pisani, qui iam anno MXV viribus coniunctis Corsicam et Sardiniam invadere coeperunt, id quod nisi valida classe exornata fieri non potuit, hac mercatura Hispanica, cuius facultatem situs urbium ipsarum suppeditabat, supersedissent? Et Amalfitani, qui etiam prius quam illi, re publica bonis legibus mature instituta, copiosam exercere coeperunt mercaturam, Hispaniam omni-

*) Hüllmann, Städtewesen des Mittelalters I. p. 90.

**) cf. Hüllmann I. l.

no neglexissent? Quos Guilelmus Appulus *) seculo undecimo florens ita celebrat:

His Arabes, Indi, Siculi noscuntur et Afri,
Hæc gens est totum prope nobilitata per orbem,
Et mercanda ferens et amans mercata referre.
Qui pergit Pisas, videt illic monstra marina;
Hæc urbs paganis Turchis, Libycis quoque Parthis
Sordida, Chaldæi sua lustrant littora tetri.

Eodem modo facile ad credendum est, Francos quoque, qui ætate Abulfedæ sæpissime in Hispaniam commeabant, iam tum eam adiisse, præsertim quum Massilienses et Burdigalenses inde ab antiquo tempore mercaturæ operam dederint. Hac via certe falcones in Hispaniam asportati sunt, quorum magna ibi copia erat, quum reges plerique aucupio ut qui maxime dediti essent **); falcones vero ex Britannia et Norvegia oriundi erant. Hoc igitur tenendum est, Arabes raro ad mercatus Europæos profectos esse, quam ob causam ne Abulfeda quidem, quamvis exeunte seculo tertio decimo florereret plurimisque litterarum auxiliis uteretur, terras «Romanias,» quas vocabant, recte describit ***).

His igitur rebus enarratis iam ad urbes mercatorias describendas pervenimus.

CAPUT VI.

De Hispaniæ urbibus mercatoris.

Alhacemus II. qui inde ab anno CMLXI Hispaniæ præfuit, copiosum omnium urbium et vicorum indicem

*) Guil. App. L. III. de Normann., quem laudat Fischerus, Gesch. des deutschen Handels I. p. 634.

**) Conde I. p. 415.

***) cf. Abulf. ed. Reinaud II. c. 6.

confici iussit, qua re perpetrata sex urbes primariæ repertæ sunt, provinciarum capita, Corduba, Toletum, Cæsarea Augusta, Valentia, Murcia et Hispalis; præterea octoginta urbes permagnæ, trecentæ minores, ingens numerus pagorum, vicorum, villarum et domuum in agris positarum *). Hispania Arabica (i. e. peninsula pars, quæ ab Ibero et Durio fluminibus ad meridiem vergit) illa ætate circiter trecenties centena millia incolarum ex computatione Murphii **) continebat; hodie ne tertia quidem pars hominum easdem regiones incolit. Placet igitur urbes præcipuas, quæ fabricarum et mercaturæ erant sedes, paucis verbis describere; qua in re magnopere dolendum est, nos nonnullis præclaris destitutos esse fontibus. Etenim Edrissii geographia, quam integrum demum ante hos nonnullos annos Jaubertus Francogallus edidit, ad manum non fuit; breviarium vero, quod Sionita latina donavit conversione et typis exscribendum curavit, tantum urbes enumerat earumque intervalla computat. Abu Obaida quidem et Massudius, geographi illustrissimi, Hispaniam descripterunt; sed in conversionibus operum eorum, quæ in collectione ***) illa sæpius laudata exstant, infausto casu Hispaniæ descriptio omissa est. Fontes præcipui fuerunt præter Condium et Murphium historicos Abulfeda et Al Maccarius, quos auctores sequi, quamvis posteriore tempore florarent, non dubitavi, quum plerumque veterum scriptorum testimonia exhibeant.

Corduba totius erat imperii caput et urbs longe florentissima, ita ut nulla Europæ urbs cum illa compa-

*) Conde I. p. 483.

**) History etc. p. 261. cf. 304.

***) Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du roi. tom. II. et XII.

rari posset et solum Bagdadum Califarum Asiaticorum sedes splendidissima, eam superaret. Aetate Almansoris (circa annum millesimum post Chr. nat.) Corduba vinti suburbia habebat, bis centena et duodecim millia domuum privatarum, sexaginta millia aedificiorum, quæ magistratus, milites et nobiles habitabant, mille et sexcenta templa, octoginta millia tabernarum mercatoriarum, ingentem scholaram et balneorum numerum; urbs quinque milliaria geographicā longa et unum milliare cum dimidio lata fuisse fertur. Cordubenses, quorum decies centena millia fuisse dicuntur, omnibus virtutibus et vitiis imbuti erant, quibus maximarum urbium et capitum incolæ prædicti esse solent: eorum pertinacia et animus seditiosus in proverbium abierat; pravis artibus ad defraudandum libenter utebantur; bellicosi et superbi, audaces et litteris artibusque liberalibus dediti erant. Corduba præcipua sedes quum litterarum, tum fabricarum erat: imprimitis libros congerere studebant Cordubenses; regia bibliotheca sexcenta millia voluminum continuisse fertur; sed multi privati quoque bibliothecas magnas colligebant, ita ut librorum mercatura Cordubæ frequentissima esset. Magna Cordubensium fama fuit propter elegantiam, qua vasa et supellectiles aureas et argenteas exornabant; fabricæ coriariæ præ ceteris nobilitatæ erant; Cordubensium artes et habitus tamquam regula erant omnium rerum, quæ ad quotidianum vitæ usum pertinent. Quam copiosa mercatura fuerit, ex numero tabernarum mercatoriarum, quem modo commemoravimus, coniicere licet; ad excipiendos mercatores devorsoria maxima publicis et privatis pecuniis exstructa erant; Bætis, qui navibus maritimis iter usque Hispalim, minoribus usque Cordubam præstabat, mercatum faciliorem reddidit.

Toletum, quod Gothis regnabitibus caput Hispaniæ fuerat, etiam postea urbs celeberrima, præcipue a Chri-

stianis et Iudæis ditissimis habitabatur; multa ædificia marmorea urbem ornabant, id quod opulentiam eius testatur; plurimæ in ea erant fabricæ, imprimis officinæ tinctoriæ, quum eius ager croco abundaret; magna croci copia quotannis exportabatur. Toletani animo erant seditioso, quum plurimi, Christianæ vel Iudaicæ doctrinæ addicti, Mohammedanam dominationem odissent; sæpe igitur tumultus commoverunt et a regibus defecerunt. Anno DCCCXXIX. quum ingentes turbas concivissent, triginta annos regum impetus fortiter propulsarunt, qua una re opulentia urbis et frequentia abunde cernitur.

Granata quidem demum Omeiadis de regno pulsis ad summum splendoris fastigium pervenit, postquam proprios reges habere cœpit; sed Omeiadarum quoque tempore propter egregiam regionis naturam admodum florebat; agri enim Granatenses ex testimonio et veterum scriptorum et recentiorum tamquam horti amoenissimi esse videntur; omnes eorum suavitatem et fertilitatem summis efferunt laudibus. Praeclare de ea urbe Al Khatib rerum gestarum scriptor, teste Casirio *): « est autem urbs Granata urbium maxime maritimarum metropolis, superbum totius regni caput, nobile mercatorum emporium, classiariorum militum optima parens, peregrinorum undique terrarum confluentium receptaculum, perpetuus fructuum sibi mutuo succendentium hortus, gratissima hominum remora, publicum ærarium, agris locisque munitissimis celeberrima civitas, immensum tritici mare et leguminum atque serici et sacchari ferax fodina . . . illius territorium auro, argento, plumbo, ferro, tutia, marcasita et sapphirino lapide affluit, bombycis ibi maxima copia cum ad commercium, tum etiam ad usum colligitur, adeo ut

*) Bibliotheca Escurial. II. p. 248

eius bombycinæ vestes mollitie, tenuitate et nobilitate Assyrias longe superare merito dicantur. » Etiamsi scriptorem Arabicum e more gentis suæ nimis auxisse rem putamus, tamen nonnullorum ædificiorum ruinæ hodie quoque certum maximi fulgoris edunt testimonium. Certe demum seculo tertio decimo Granata hac summa fortuna est usa; sed iam priore ætate suum locum inter celeberrimas obtinebat urbes.

Hispalis quamquam decem millaria a mari distabat hodieque distat, tamen propter Baetis fluminis altitudinem copiosam habebat mercaturam maritimam et in amplis eius navalibus permultæ ædificabantur naves. Fluminis ripæ ædificiis tamquam consitæ erant, ut urbs continua esse videretur; tota regio præclarissimis abundabat olivetis, in quibus centum millia villarum et prelorum olei fuisse dicuntur; oleum nobilissimum Alexandriam usque exportabatur. Hispalenses, quorum luxuria tritum sermone proverbium erat, deliciis et iocis, cantui et saltatione ut qui maxime erant dediti, quoniam solum fertilissimum atque officinæ præclaræ ingentes iis suppeditabant divitias. Instrumenta musica magnam præstantiæ gloriam adepta sunt, quorum copia quotannis in Africam exportabatur. In Baeti flumine ad commercium adiuvandum pons navalis exstructus erat.

Murcia, in amœnissima et opulentissima regione sita, et fabricis illustrissimis et villulis voluptatum causa exstructis abundabat. Tapetes Murcienses magnam oppificibus pariebant gloriam et in orientem occidentemque exportabantur; sed ampliorem quoque famam arma fabricatorum Murciensium assecuta sunt, quæ auro inserto et gemmis inclusis splendebant; hodieque illa regio armorum fabricis excellit; sed artifices nostræ ætatis usque Maurorum vestigia sequuntur, ut ipsas Arabicas Corani

voces, quibus hi gladios exornare solebant, in laminis repetant.

Præter has, quas nominavimus, urbes complures aliæ in interiore terra erant sitæ, quæ simili sollertiæ et opulentia fruebantur fama, veluti Mentesa (Iaen), cui propter fabricarum sericariarum copiam et præstantiam cognomen Sericariæ inditum erat; Augusta Emerita, cuius incolæ divitiis et multitudine sua freti sæpius gravissimas excitabant seditiones, Pax Augusta, Cæsarea Augusta, multæque aliæ, quas silentio prætermittamus. Hæ urbes, viis egregiis inter se iunctæ, præcipuæ sedes mercaturæ terrestris et fabricarum erant; restat, ut urbes maritimas perlustremus earumque nobilissimas describamus. Sed omnium maxima et ditissima erat

Almeria, quam Abulfeda *) orientis portam et opulentia clavem adpellat **); mille balnea et deversoria in urbe, totidem in suburbio erant; Al Maccarius sex millia textrinarum sericariarum ibi fuisse affirmat; textores ita artis periti erant, ut ipsis Corani vocibus telas exornare scirent; pari gloria vasa fictilia auro et coloribus splendidis ornata, merces aureæ, argenteæ, cupreæ, ferreæ et vitreæ fruebantur; vini, olei, cannabis et bombycis maxima copia exportabatur. Regno Omeiadaru everso, quum proprii reguli urbem gubernare cœpissent, Almeriæ mercatura copiosissima erat, quum ipsi Christiani permulti, imprimis Pisani, Genuenses et Catalani eius portum obirent et maxima inde commoda perciperent; Indicas enim et Persicas contendebant esse merces, quas

*) II. p. 254.

**) Abulfeda l. l. elle a un territoire d'argent, une côte d'or et une mer d'émeraude.

Almeriæ emerant, easque magno Europæis vendebant pretio *).

Malaca quum fabricis, tum frugibus nobilitata; bombycinæ telæ et vasa aurata præclara ibi venibant; sed frequentissima vini et ficorum mercatura erat. Vinum enim Malacense iam illo tempore ut hodie cetera Hispanica superabat, ut Califa quidem moribundus id solum optaret, ne vinum Malacense sibi deesset in caelo. Quod ad ficos adtinet, hæc regio tam excellentes procreabat, ut ne Asia quidem et Africa antestarent, et immensa ficorum copia quotannis Bagdadum usque exportaretur **).

Algeziras portum præstantissimum et ad mare medium transeundum aptissimum habebat; hinc potissimum mercatores, qui interiores et occidentales Africæ partes adituri erant, vela dabant, quam ob causam Algeziram inter et Sebtam Tingimque frequentissimum obtinebat commercium. In eodem portu magna pars natiuum longarum, quas reges ad Africanorum et Califarum impetus defendendos ædificaverant, ad ancoras constiebat.

Olisipo ditissima auri fodinis, sericariis fabricis, et pometis fertilissimis; hinc mature in regiones septentrionales commeatum esse videtur; certe Ibn Said, qui in eunte seculo tertio decimo floruit, falcones Britannicos et Scandinavicos commemorat, quos inde in Hispaniam et

*) Al Macc. ed. Gayangos I. p. 360. nota, cf. p. 52.: Almeria was the greatest mart in Andalus, christians of all nations came to its port to buy and sell and they had factories established in it.

**) And as to the quantity annually exported by sea in Moslem and Christian vessels, it is so enormous, that I shall not venture upon a computation for fear of falling short of the real number. Al Macc I. p. 48.

Aegyptum deductos esse affirmat *); multos vero falcones iam octavo et nono seculo esse apportatos, et ad venandum exhibitos, supra demonstravimus. Omnino Olisiponenses animo fortí et ad magnas res gerendas parato fuisse videntur; nam illi quoque viri, quos nova et inaudita detegendi causa vastum Oceanum obiisse supra commemoravimus, Olisiponenses fuerunt; quæ expeditio circa annum MXII. facta esse videtur **).

Valentia aëre purissimo et solo fertilissimo gaudebat et nunc gaudet, quapropter Hispani eam pæninsulæ hortum appellare solent. Hac in regione plurimi erant agri oryza consiti, etiam multa palmeta facile præstabant commodum; fabricarum officinis permulti homines operam navabant; plurimæ merces in Orientem exportabantur.

Amplo et firmo Carthaginis novæ portu præcipue Murcienses mercatores utebantur, unde merces suas in alienas terras eveherent; omnino hæc regio, cui ab Arabibus nomen « Tadmir » inditum erat, quum eximiis naturæ bonis, tum incolarum industria opulentissima, merito cum præclarissimis Asiæ regionibus comparatur.

Illi portus Hispaniae celeberrimi fuerunt; sed multi alii quoque navibus et longis et mercatoriis stationem præbebant, veluti Tortosa, Tarraco, Almuncab, Gades, Welba, Alicanta. Barcinonem omisimus, quæ urbs iam inde ab nono seculo in ditione Christianorum tenebatur; sed opportunitate loci et incolarum forti ac strenuo animo factum est, ut brevi effloresceret et copiosam mercaturam exerceret; Catalani præcipue in Orientem, paparum minis pro nihilo habitis, commeabant, quam ob rem

*) Abulfeda II. p. 266.

**) Conde I. p. 571.

Jacobus rex iam seculo tertio decimo (MCCLXVI) consules, quos vocant, mercatoribus Syriam et Aegyptum ad euntibus instituit.

His igitur rebus disputatis facile ad intelligendum est, Hispaniam illo tempore reliquas Europæ terras cultu, opulentia et divitiis omnes longe superasse. Nonnullorum privatorum divitiae incredibiles fere fuerunt, ut recte cum ipso L. Crasso eos comparares; rerum gestarum scriptores complura immensæ largitionis prodiderunt memoriaræ exempla: quum Almanzor anno CMLXXXIV. cum exercitu copioso in Christianos proficeretur, Ahmed Murciae præfectus eum totumque exercitum lautissimo excepit hospitio et per viginti tres dies suis impensis aluit *). Itaque pecuniæ, quæ quotannis e vectigalibus et portoriis redibant, tantæ erant, ut pæne fidem excedant. Quæ res quum et per se memoratu digna esse videatur, et quodammodo ad propositum nostrum pertineat, eam leviter perstringentes opusculi finem faciamus. Sed hoc in loco fontium natura maguopere impedit, quominus accuratam faciamus computationem; etenim ea, quæ commemorata sunt a scriptoribus, fere in universum sunt dicta vel integras tantum summas exhibent.

Omnia Mohammedanorum regna eodem fere habitu erant iisdemque gaudebant institutis. Fons enim publici iuris eorum ille liber est sacer, qui Coranus inscribitur; deinde forma omnium regnorum ita instituta erat, ut summa rerum ex unius arbitrio gereretur; tum omnes terræ Mohammedanæ initio uni Bagdadensi parebant Califæ et a præfectis administrabantur, qui quum se in libertatem vindicassent, una eademque rei publicæ gubernandæ ratione utebantur. Quam ob causam necesse

*) Conde I. p. 507. cf. p. 440.

erat, ut omnes civitates Mohammedanæ magnam inter se similitudinem haberent. Itaque ex lege sacra totius terræ dominus Califa est, quoniam vice summi dei, ad quem omnia pertinent, fungitur; reges vero, qui ab iis defecerant, eadem sibi sumpserunt iura. Simulatque terra aliqua occupata est, pars eius incolis veteribus adempta et Mohammedanis victoribus tradita est, partem victi retinuerunt; quarum partium conditio non eadem erat. Qui in Arabum fidem se tradiderant, priusquam ad arma ventum erat, iis decima terrarum solvenda erat; qui proelio cum iis conflixerant et vi oppressi in eorum ditionem venerant, ab his quinta vectigalium pars exigebatur; sed nescio an non postera ætate, postquam diuturna pax pristinæ pertinaciæ memoriam delevit, omnium eadem fuerit ratio subiectorum. Præterea iis exactio quedam capitum imposita erat, qua Muhammedani vacabant. Tributo illi nomen «charadsch» impostum erat. Vectigal, quod Mohammedanis ipsis irrogatum erat, «seca» sive «azaca» appellabatur; solvebant decimam omnium fructuum, pecudum, fodinarum atque rerum ad mercaturam et quæstum pertinentium*). Pecunia, quæ redibat, ad sustentandum regem eiusque ministros, ad terram defendendam, ad bella præparanda, ad aedificia publica, velut templa balnea, puteos, scholas, pontes, vias, deversoria aedificanda et conservanda, ad præceptores publicos alendos, ad captivos redimen-

*^o) Bene Gayangos (Al Macc. I. p. 401. not.): The only legal tax to which a Moslem was by law subjected, was the *sacada* (alms). This consisted 1. in the tithe of the products of the land; 2. in the payment of one out of forty from cattle, sheep etc.; 3. in a toll levied on goods imported and exported, amounting generally to a duty of two and a half per cent of the value of the merchandize.

dos, ad pauperes adiuvandos adhibebatur. Accedebat ad has solennes pecunias quinta pars prædæ bello captae, quæ in ærarium publicum deferebatur; quatuor partes ducibus militibusque erant. Summa redditus publici Omeiadis regnantibus quotannis creuisse videtur: quum Abderrhamanus I. regia potestate potitus esset, quotannis fere trecenta millia denariorum aureorum redibant; (denarius vel mithcalis, quem vocant, circiter pro tribus thaleris nostris habetur, sive pro decem schillingis, quos appellamus, Anglicis) brevi pecunia publica admodum crevit; Abderrhamanus II., qui inde ab anno DCCCXXII usque ad annum DCCCLII regno præfuit, quotannis decem centena millia denariorum percepit; Abderrhamano III. et Hacemo II. regnantibus incredibilis fere vectigalium summa erat; consentiunt enim scriptores, ea ætate plus duodecies millies millia denariorum rediisse. Si ceteros Europæ reges cum Omeiadis comparamus, illi profecto pauperes apparent: quum Richardus I. Angliæ rex ab imperatore Germanorum in vinculis retineretur, ægre Britanni centum et quinquaginta millia marcarum contulerunt, quibus regem redimerent. Ipse Guilelmus I., ille qui Britanniam expugnavit, quamvis per fas et nefas vectigalia publica augere studeret, non amplius octogies centena millia thalerorum nostrorum quotannis percepit. Contra Hispalis iam Alhacemo I. regnante centum et triginta quinque millia denariorum in ærarium publicum contulit et unius urbis redditus annui, Cordubæ, totius regni Anglii vectigalia longe superabant: nam etiam regno Omeiadarum everso tricies centena millia denariorum aureorum ex hac urbe rediisse feruntur*). Magna vectigalium pars e fructibus,

*) Cf. de vectigalibus et portoriis: Murphy history etc. p. 163, 271, 304. Conde I. p. 270, 483. Al Maccari ed. Gayangos

frumento ceterisque rebus, quas terra gignit, constabat; sed hæc in computatione summarum prætermissa est, quum harum rerum quæstus accurate definiri vix queat.

Hæc habui, quæ de conditione mercaturæ atque agriculturæ Arabum Hispanicorum dissererem. In quibus non ignoramus quidem, nonnullas res ad mercaturam pertinentes omissas esse, imprimis eas, quæ ad mercandi et solvendi rationem spectent; sed hæc res quum per se difficillimæ sunt, tum fontium natura ita comparata est, ut nihil inde certi ac memoria digni cognoscatur. Quam ob causam silentio eas prætermittere satius duximus.

I. p. 401. Bene Murphius: How Spain could furnish the means of these extraordinary expenses, is a question for the political economists to decide. The fact however is certain,

D 0850



